

P. SCRIBONI LARGI HISTORiarUM FRAGM.

His temporibus, quibus sub Caesaris Augusti imperio rursus tandem aliquando tranquilla pace fruimur, atrocitatem bellorum civilium revocare volo, ut protinus oculis civium obversetur, ne pacis deliciis ebrii et sanguinis civilis profusi obliti immodice pietate in patriam neglecta lascivire incipiant et ad nova civilia arma recurrant. Res enim gestas a fine Catilinae coniurationis, de quo pauca mihi dicenda existimo, usque ad pugnam Actiacam perscribam et, quamquam de parte harum rerum apud Sallustium et in praeclaris Caesaris Commentariis legimus, qui viri, praestantissima ingenia aetatis illius, optimum testimonium de rebus, quas partim ipsi gerebant, perhibent, quia alia ut cauti, alia autem ut indigna scribi praetermiserunt, tamen totam hanc materiam suscipio, sperans quasdam res in lucem claram exponendo veritatem me ac iustitiam sustentare.

Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario Romae in Tulliano strangulatis et in agro Pistoriensi Catilinae exercitu victo coniuratio ipsa, quae nuntia parva erat magnarum futurarum caedium, exstincta est, sed remansere causae novorum malorum. Nam Gaius Antonius consularis pecuniae avidus domi se continens aegritudine pedum simulata privatus per satellites suos, nonnullos etiam senatorii ordinis viros, inter quos saevissimi Aemilius Scaurus et M. Calpurnius Bestia fuerunt, nemine obsistente reliquos coniuratos proscribebat, quos, qui essent, facillime sciebat, qui et ipse quondam particeps coniurationis fuisset. Tunc multi et opulenti cives praematuram et coactam mortem obiere, quo in numero erat Manius Paetus, qui audiens se et sua peti a senatu repudiatus quibusdam amicis in auxilium evocatis sese cum iis in villam suam rusticam contulit eamque, quantum poterat, munivit et Antonii administratos exspectabat. Quae omnia nihil profuerunt. Caesus enim est cum familia tota opesque direptae et inter Antonianos divisae. Simili morte et Titus Laeca, Lucius Marius, Cornelius Rufinus, Gaius Annius, D. Plotius Gallus, T. Cocceius Nerva occiderunt alii parati et resistentes, inopinantes alii. Perpauci eorum superstites, qui Catilinae faverant, quorum Quintus Scipio ea tempestate mirifico modo cum plurimis suis pecuniis evanuit et neque vivus neque mortuus umquam inventus est. Plerique adfirmant eum callidum et versutum, ut fuit, mortem effugisse et aliquo confugisse, ubi melius quam Romae vivatur, sed sunt et alii, qui eum manu Antonianorum occisum esse dicant. Attamen Antoniani etiam ad maiora his malis, quae diximus, parati erant. Erat A. Scribonius Largus, vir honestissimus, dives opum, extra omnem coniurationem. Qui cum per amicos certior factus esset sibi quoque mortem et direptionem imminere, sicut erat, placidus in urbe cum uxore et filia et paucis servis remansit fidens innocentiae et dignitati suae dictitabatque bene meritis de re publica nihil timendum esse. Verum

neque innocentiae neque dignitati pepercit Antonius neque a castissimo viro et eius familia manus sceleratas abstinuit. Irruunt igitur circa mediam noctem in domum eius complures homines latronum more vestibus cucullatis induti servisque, quos reppererant, caesis uxorem et filiam virginem, antequam eae quoque trucidatae sunt, vitiant, at hospiti ipsi, quem pedibus ligatis praecipitem tigno suspenderant, lacertos abscidunt et circumstantes sanguine e vulneribus pendentis rivatim profluente alia inter ludibria etiam hoc addunt: mirari se nescium fuisse Scribonium suum finem talem fore, qualem rei publicae minatus esset, cum eam sic evertere et examurcare voluisset. At nemo est etiam nunc, qui in domo Scriboniana scelus factum esse dubitet, sed de singulis dubitatur, quae ego sicut ex servo Scriboni, qui, tum infans, se absconditum omnia vidisse adseverat, compertum habeo, tamen litteris mando.

Mislav Benić